

...us est.

...us est.

...us est.

...us est.

... i porta

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ,  
TESTAMENTO RELICTIS.

22.1.



101



Ca  
Ca 1. d.

NATALIS DN. NOSTRI  
IESV CHRISTI

CIO. IO. XCI.

*Carminibus anniuersario celebratis.*

*cum aliorum carminum sacrorum*

APPENDICE

NATHANIS CHYTRÆI.



*Ex liberalitate Joh. Georg. Thilo*  
*compositis Chytræi*



NOBILI ET INTEGER-  
RIMO VIRO, DN. BERNHARDO  
LVNBVRG, PATRICIO APVD  
Lubecenses eximio, Domino  
& amico beneme-  
renti.

*STRENVLAM HANC  
Christianam, dicat  
consecratq;*

NATHAN CHYTRÆVS.

*Nazianzenus.*

Καὶν εἰς Αἴγυπτον φεύγει, ὃ τὸ θεοῦ μο-  
νοφυῆς, πρὸς τὴν συμφοραδέουθην.  
καλὸν τῷ χειρῶν συμφορῶν  
διωκόμενῳ.

ΣΥΝ ΘΕΩ.

NATALIS D. N.

IESV CHRISTI

CIO IO XCI.

CHRISTVS EXSVL.



*X* sule nil misero miserum est ma-  
gis. excipe mortem

*Forsan ais? non excipio. quæ  
causa? laborum*

*Atq; ærumnarum mors finis certa  
fidei est:*

*Exsulis incipiunt primum vel mille nonorum  
Damna periclorum, circum velut agmine facto.*

*Cur igitur Dominus mundi, verusq; Iehoua  
Patre Deo, natusq; idem de virgine matre*

*Verus homo, cum vitales prodisset in auras,*

*Est subito patriam exsulio mutare coactus?*

*An Deus omnipotens homines metuitq;, fugamq;*

*Præter nil habet auxiliij? Seruator an orbis*

*Seruari nequit absq; opera mortalis egeni?*

*Sit procul hoc. quid vermiculus, quid bulla caducæ*

*Æternum contra possit præstare Iehouam?*

A ~~X~~

Qui

Qui nutu, aut si quid minus est nutu arduus orbē  
Conterat, Herodemq; ipsum det vermibus escam.  
Quenam huius ratio ergo fugæ? quæ deniq; causa  
Exsuli tam præproperi? quæ causa malorum  
Quæ secum fert exsulum? tua sancta voluntas,  
Consiliumq; tuum æternum supreme Iehoua.  
Qui mala, quæ scelerum regina superbi mundo  
Intulerat, quasi pressura hac sanare, tibiq;  
Conciliare tuos patrio compulsus amore  
Instituiisti, vt iustitiæ miseratio consors  
Facta tuæ, inter se posthac in pace vigerent  
Perpetua, cœli & consors homo liber abiret,  
Tartareos aliàs iam iam immergendus in ignes.  
Hinc natus vixdum crucifigi cœpit Iesus  
In sese membrisq; suis, cum plurimus infans  
Herodis cadit ense, vomens cum lacte cruorem.  
Exsilio hinc puer iste domos & patria mutat  
Limina, vt in patriæ amissæ nos iura reponat.  
Hinc ille hostilis fugiens petit arua Canopi,  
Tutior hîc hostes interq; Idola futurus,  
Quam in patria fratres inter durasq; sorores,  
Qui sacra augusti iactabant atria templi:  
Seq; adeo solos sanctos iustosq; putabant.  
Quin semper fors ista etiã pia membra secuta est  
Tam cari capitis. profugus sic exsulat hortis

Ada-



Adamus paradisiacis, prima omnis origo  
Hinc scatet exsulij. mox et stirps gentis Abramus  
Christe tuæ extorris Cananæos inter oberrat.  
Nec melior fuit Isaaci, afflictiq; Jacobi  
Conditio in mundo, quorum hic moribundus, an-  
Tempora Messiaæ prænunciat ore, Iehudæ (helo  
Atq; è pro genie hunc venturum prædicat orbi:  
Dauides etiam satus ampla ex gente Iehudæ  
Exsulat ipse, potens rex quamuis deinde futurus,  
Progenitorq; tuus puer ô dulcissime Iesu:  
In Psalmisq; suis tua sæpe illustris imago.  
Exsul erat patria in media, quia carcere clausus,  
Fatidicus Micheas, loca qui natalia Bethlæ  
Christe tuæ memorat, sacrorum rege superbo  
Sedechia, duce cæcorum: quis cæcior et si  
Ipsè foret, tamen imperio grassatus acerbo  
Cædebat colaphis, si qui sua lingere cauti  
Sputa recusarent, veri vi ~~se~~ numinis acti.  
Aduentus quoq; Christe tui prænunciat annos  
Extorris Daniel celsa Babylonis in aula.  
Nuper ab exsulioq; redux, eiusq; malorum haud  
Ignarus cum Zacharia fuit acer Hagæus,  
Templum suggestumq; tibi cum dulcis Iesu  
Fatidicis struerent, per mille incommoda iussis.  
Ipsè etiam qui te digito Baptista notauit

Iordanis nitidas velut exsul oberrat ad vndas,  
Sub dioq; cubans, mox vitam in carcere ponit.  
Ipsa etiam genitrix grauis exsulat hospes auitæ  
In stabulis Bethlæ, Iosephus & exsulat ipse  
Curator, custosq; tuus, matrisq; pudicæ.  
Exsul es ipse etiam patria delapsus ab arce  
Virginis in teneræ gremium carnemq; misellam,  
Expositam, sine labe tamen, damnisq; malisq;  
Omnibus, & duræ per mille pericula morti.  
Nidū habet hic volucris, mapalia pastor in agro,  
Bos stabulum, foueam vulpecula; cespite sed tu  
Christe cares, in quo tuto deponere possis  
Mite caput viuens, alienoq; inde sepulchro  
Mortuus impositus, patriam nihilominus arcem  
Scandis, & æternū victa de morte triumphas.  
Quid nisi perpetuum exsiliū tota illa tuorum  
Vita fuit bissex procerum? qui semina verbi  
Christe tui totum primi sparsere per orbem.  
Quid reliquorum etiam, qui pæne ad tempora no  
Fontibus ex illis riuos duxere salubres? (stra  
An non exsulijs ibi plena fugisq; fuere  
Omnia? præcipuam num tu tibi poscere sortem  
Audebis, qui de Christo tibi nomina sumis  
Nomine. perfacile hic equidē tibi Christe fuisset,  
Patri etiam facile ætherio, vi fulminis atrum  
Deicere

Deiſcere Herodem. ſed non tua tempora iniqua  
Talia poſcebant ſibi fulmina ; ſed preſſuram,  
Ærumnas, ſordes, lacrymas, colaphosq; cruentos.  
Quorū adeo proplasma fuit, ſcholaq; optima triſte  
Exſulium, quod nunc etiā, ſchola ſancta piorū eſt  
In qua ferre crucem, & pedetentim aſſueſcere du-  
Incipiunt, mox maiores vt ferre labores (ris  
Intrepidi inuictiq; queant: vbi deniq; mortem,  
Res inter trepidas trepidiſſima quæ eſſe putatur,  
Nō trepidare nimis, ſed eā quoq; ſpernere diſcant.

Sed nunquid mirū hoc etiam? expectatus in an-  
Tot Chriſtus fuerat fruſtra. iam deniq; natus (nos  
Virgine, & angelicis celebratus plauſibus orbi  
Venerat, aſtro etiam, turba comitante magorum,  
Indice. iam Simeo tremulis geſtauerat vlnis  
Mirificum hunc puerum: Phanuelis filia eundem  
In templi coram celebrauerat omnibus arce :  
Is nunc ruruſus abeſt : ſanctorum à gente puſilla  
Conſpicitur nuſquam: ſit vbi ſcit nemo: nec aude  
Querere, rege minas ſpirante, eiusq; miniſtris :  
Cum pueris cæſum eſſe putant pleriq; Rachelis.  
Ruruſum Iſraëlis ſit ſpes labefacta iacebat  
Tota, Dei promiſſa etiam creduntur inania.  
Hoc ſpecimen quoq; ſtultitiæ crucis eſſe putandum  
Et regni Chriſti, & tandem victricis Alethes (eſt,

Post cladem, effigies. Solymæ spectabilis heros  
Prodeat ut quondam, atq, operas saluantis ibidem  
Inchoet; en fugere hac procul è regione coactus  
Migrat in Ægyptum, & latitat, mansurus ibidem  
Dum reuocet pater, ablato iam morte tyranno.  
Nondum etenim præuisa Deo tum venerat hora.  
Quæ quamprimū orbi properantibus ingruit alis;  
Absq, mora tum rursus adest, munusq, docendi  
Inchoat inuitis Pharisæis, rege, tyrannis,  
Pontifice & Satana. tum nemo resistere Christo,  
Cedere sed cuncti gladij, viresq, doliq,  
Coguntur. quis enim valeat pugnare Iehouæ?  
Armipotente manu cum quid mouet ipse regitq,  
Omnipotens, flatuq, sibi contraria tollens,  
Tollit arachneam vt telam, papposq, volantes  
Iratu Boreas, Boreaq, animosior Euris.

Sed tibi cum Pharia quid erat puer optime  
gente?

Gente mala, Idolisq, sacra, è qua pluribus annis  
Nil nisi funestum & lethale obuenerat omni  
Isacidūm generi. Ægypto quid Christe tibiq,  
Commune est? fuit ista patris quoq, sancta vo-  
luntas,

Per media assequitur quæ vel contraria finem  
Sæpe suum, res sit magis vt miranda, cuiq,

IAMB

Iam nota & vulgata pio. Simul innuit ille  
Conuincitq; idem, mundi se sceptrā tenere,  
Et moderari animis, dextraq; tenere potenti  
Corda manusq; hominum, nihil vt, nisi quod velit  
ipse,

Consulere aut finire queant: quiq; in bona vertat  
Quæq; bonis, quæ sine malo gens praua gerebat.  
Infantes hic ense cadunt, vt Christus in illis  
Occumbat. verum hi per mortem ad gaudia veræ  
Perueniunt vitæ: ille fuga sibi consulit ipso  
Admonitore Deo. Dominum Iudæa salutis  
Negligit & patrijs decedere cogit ab oris:  
Excipit Ægyptus, quamuis hostilis. eundem  
Cognati oderunt spernuntq; at diligit illum  
Extera gens, ipsiq; locum concedit amicè.  
Nam Domini est tellus, & quidquid sustinet illa.  
Ille suum dat cuiq; locum, sua tempora & horas:  
Quis nondum exactis, nemo illum perdere, nemo  
Sede mouere potest: dolus & furor omnis inanis,  
Sic Iosephum olim fratres odere superbi,  
Mancipijq; instar venum exposuere misellum,  
Quem Pharaon tandem ad summos euexit honores  
Vexatum prius & pressum. diuinus Elias  
Tristis abit terra è patria, quem pascere coruū  
(Furaces ipsi, & nunquam non ventris auari)

Et viduæ satagunt inopes, rerum omnium egenæ;  
Quin etiam optatas illi fert angelus escas.  
Nunquid tu melior fueris miser omnibus istis?  
An tolerabilior serui quam regis heriue  
Conditio fuerit? non est sine vepribus ille  
Spinosis: non exsulij, non vulneris expers,  
Non sputi, colaphi, crucis, atræ deniq, mortis.  
An meliora tibi tu poscere fata labores,  
His sine qui quæris Christum? quibus omnib. ille  
Non caret, aut caruisse potest. desistito cœptis.  
Quem quæris nunquã inuenies. si gloria Christi  
Summa tibi cordi est: placeant quoq,serta coronæ  
Spinea, cum flagris: placeant gestanda cruentæ  
Pondera vasta crucis, nodi, clauiq, trabales.  
Sin minus; absiste, atq, aliam tibi quære salutem:  
Nec, quæ disiungi nequeunt, diuellere tenta.  
Nec tamen vsq, adeò metue hanc, grex paruule  
duram

Roboreamq, crucem, cuius pars curta Simoni,  
Maxima sed Christo incubuit. iuuat vnus & idem  
Nunc quoq, nos: reputatq, prius quid ferre recusēt  
Quid valeant humeri & scapulæ. idem cernit &  
Omnia, & assiduus custosq, comesq, suorum (audit  
Triste per exsulum est. prius ille viatica iussit  
Iosepho conferre magos: comitantur euntes

Ange-

Angelici proceres : proficiscenti omnia rident,  
Aer, prata, viæ, fontes, vaga flumina, sylvæ,  
Suauibus & volucres concentibus aëra mulcent :  
Auctoremq; suum qua possunt voce salutant.  
Ille animos hominū, & cum vult simul omnia nu-  
Immutare potest, faciens ex hoste benignum, (tu  
Ex tenebris lucem, densas ex luce tenebras :  
Optatam eliciens sæpe ipso ex funere vitam :  
Tartareo & mergens viuos quandoq; sepulcro :  
Si placeat sic, vtilitasq; id nostra requirat.  
Sic Morere Herodi dixit, iam fraudis abunde est  
Et scelerum. atq; vnà cum dicto mortuus ille  
Diriguit, mox phtheiriasi consumptus, hiansq;  
Iosepho qui dixit Abi ; iam dicit eidem  
Euge Redi, periere tuiq; & comparis hostes,  
Quærentes animam pueri. sapientia nulla,  
Consilium prorsus nullum est, fraus nulla, dolusq;  
Quæ contra Dominū valeant. bene fallere Perjas  
Ascalonita potest, Dominum sed fallere nescit.  
Eheu quam miseri essemus, tam sæpe tyranni,  
Pontifice sq; mali, & simulator hypocrita. Zeli  
Fallere si Dominum possent ; quam sæpe per illos  
Fallimur, & vafra nos circumscribimur arte  
Incauti, nostroq; alios metirier ausi  
Ingenio, faciles nimium, expositiq; periculis.

Sed bene habet. tantum conantur perdere, tantum  
Quærent & cupiunt nostros pessumdare fratres:  
Quamq; illi ex animo diam profitentur Alethen.  
Sed nihil ulterius possunt. conatus in auras  
Aut fumos hic ruptus abit. me lædere nemo,  
Nemo nocere mihi potis est, nisi iusserit ipse,  
Permittatq; sciens. sine quo nec fronte capillus  
Decidit, aut tecto labens passerulus alto.  
Ille suos cruce depressos non deserit unquam.  
Aut etiam si terra neget tectumq; laremq;  
Ipse illis cœli spacio sa palatia pandit.  
Certior hic domus est, hic patria certior, atro  
Nullus ubi locus exsilio est, spinisq; cruciq;  
Sed votis potiora suis ubi quilibet haurit  
Ex æternorum æterno quoq; fonte bonorum.  
Quidnam autem infelix, quidue illo triste beni-  
Quid non infelix, non illo triste inimico? (gno?  
Sanctorum ærumnis cum nil felicius, ipso &  
Flœre tyrannorum, seductorumq; luporumq;  
Agnina sub pelle, nihil lachrymosius vsquam  
Esse queat. sciat hoc Thusco crocodilus in amni  
Iam trepidans. norint hoc plenæ fraudis hyænæ,  
Vipereumq; genus, genus & ferale draconum.  
Norit id Herodes maiorq; minorq;, superbus  
Helluo regnorum, gangrænæq; instar in omnes

Finis



Finitimos grassans, nunquã satiandus, & ingens  
Hostis Aletheæ, & miseri miserabile Pluti  
Ludibrium, quem supremo pro numine Mars iam  
Et Bellona colunt, vinci quasi nesciat ille  
Qui semet seruare nequit. longè armipotentis  
Sed potior meliorq; manus stat dextra Iehouæ,  
Confisosq; sibi ( Pluti nullius egena:  
Per paucos multosq; æquè superare parata )  
Asserit, ampullasq; istas, bullasq; tumentes  
Dissipat afflatu, quæ quo se fortius inflant;  
Hoc citius dirumpuntur. Sed cura Iehouæ  
Quos tegit, & fouet, & lapsos iterum erigit, illi  
Iam tandem Peana canent, rumpantur vt ima  
Viscera Tarpeio basilisco, eiusq; chelydris,  
Tartareoq; ipsi maledicto in secula Pluto,  
Cum se æquare Deo miser & miserabilis audet.

## A P P E N D I X

### Ad seipsum de puero Iesu.

Quid trepidas mea mens, dubio & te pectore tor-  
Quin potius tecum non dubitanter ais: (ques?  
Est Deus; ergo potest. homo fit; vult me ergo iuua-  
Christus frater homo, rexq; Iehoua meus. (re

A ?

Sæpe

Sæpe potest aliquis ; nec vult : vult sæpius alter ;  
Sed nequit : hinc frustra cœpta relicta iacent.  
Hic vult , atq; idem potis est : iuratq; subinde  
Se nolle , vt pereat criminis osor homo.  
An non hoc satis est mens irrequieta ? quid audes  
A tam munifico poscere plura Deo ?

### Nosce teipsum.

Quid sum? quid valeo? quo robore polleo? qua re  
Glorior en oculos stans Deus ante tuos?  
Nil nisi vermiculus, flos languës, pulueris umbra  
In quo nec minima est gutta vel umbra boni.  
Planè vbi cuncta iacent primæua perdita labe,  
Sustenter totus ni bonitate tua.  
Nil valeo & possum, mihi ni tua gratia gratis  
Sit præsto, & p̄a via me pietate iuuet.  
Gloria nulla mea est : tibi sit tua gloria soli  
O omnis Iesu fons & origo boni.

### Dignitas verbi diuini. Deut.

30. vers. 14.

Ne dic, quisnam imos terræ penetrabit abyssos?  
Ne dic quis densas superabit in aëre nubes?  
Ne dic Oceani immensos quisnam impiger æstus  
Traijciet? satis esto tibi venerabile verbum

Cordi

Cordi orig, tuo impressum, verbum acre Iehonæ,  
Quo duce non sole in tenebris, non lucis egebis  
Vmbra in mortifera, non vera in funere vita.  
Quid cupis vltcrius? nunquid tibi sufficit vnum  
Quo nihil in toto inuenies preciosius orbe? (hoc,

### CruX pio non fugienda,

Magna sonas, maiora audes quoq, maxima quæq,  
Appetis; & Christi vis tamen esse comes.

Nosse cupis nati stabulum & præsepia Christi;  
Et tamen excelsis vis inhiare thronis.

Nosse crucem vis, & confossi vulnora Iesu;  
Et tamen hic nummos deliciasq, sequi.

Si Christi vis esse; etiam vestigia Christi  
Fortis ini, inuisam nec trepidato crucem.

Pone animos magnos, paruusq, adsuesce videri.  
Non sectatorem deseret ille suum.

### In me nihil, in Christo omnia.

Nil sum, nil valeo. mea nam sapientia summa  
Nil nisi stultitia est. virtus mea maxima, languor  
Est merus. est summū mea maxima gloria probrū  
Dedecus est honor. integritas mea nil nisi sordes.  
Mundicies foetor. tu tu miserere miselli  
Christe salus mundi, lux, spes & vita tuorum.

Vnica.

*Vnica. nil in me superest mihi. solus & vnus  
Omnia tu mihi sis, nihil vt mihi desit in vno.*

### *Sursum corda.*

*Cur sursum sublime caput mihi vergit? at ipsum  
Cor vile & prauum, tota quasi mole, deorsum  
Me raptat, pigriq; facit me ignobile ventris  
Mancipium? cur splendorem perpendere solis  
Iussus, spectro solum hoc terrenum vile, salumq;  
Æquoreum? quærens in eis mea commoda, cæli  
Interea oblitus: quo me tamen hic status ipse  
Corporis, erectiq;, vocant ad sidera vultus.  
O animam vilem, & faculæ cœlestis egenam.*

### *Christus verus thesaurus ex Nazianzeno.*

*Aurum alij, argentumq;, nitens, mensasq;, refertas  
Delicijs, vitæ ludibria huius ament.  
Pulcra alij Serum subtegmina, agrosq;, feraces  
Frugum habeant, amplos quadrupedūq;, greges  
Dum Christus mihi sit vel summa opulētia, mente  
Quem pura adspiciam. cætera mundus amet.*

### *Bonitas Dei inexhausta.*

*Ab quanta est bonitas, miseratio quanta Iehouæ!  
Tum quoq;, cum contra nos sæua tomitrua credas  
Miscere*

Miscere. ille manu cum laeva verbera nobis  
Intentat; subito nos dextra subleuat. idem  
Cum nos curarum crudeli immergit abysso;  
Tum simul euectos super omnia sidera tollit.  
Cum necat; aeternae donat nos munere vitae.  
Quis celebrare satis pater o tua munera possit?  
Sit tibi laus, tibi summus honos, tibi gloria in æ-  
(uum.

### Votorum suorum summa.

Non ego mundanos affecto aut sector honores:  
Non magni cupio fieri à mortalibus agris.  
Quando scio quidquid magnum & mirabile mun-  
do est,

Esse Deo exosum, & velut execrabile, Christo  
Iudice veraci & certo. tu me ergo Iehoua  
Ut doceas, semperq; regas, frenoq; gubernes  
Ipse tuo, votis ardentibus oro, tibi vni  
Ut faciam grata & dicam, tua gloria per qua  
(Non mea, quã flocci didici iam pendere) crescens  
Floreat in mundo. votorũ hæc summa meorũ est.  
Hoc cui non satis est vnum, sibi plura precetur.

### Confugium suum vnicum.

Cum quacunq; premor noxa vel clade per orbem,  
Hoc oculo intueor mea vulnera cruda, meumq;

Lan-

Languorem, & nullas vitioso in pectore vires,  
Nil mihi, nil proprijs meritis confidere pronus.  
Illo oculo aëst coelum adspicio sublime, nihilq;  
Addubito, me illic fontem auctoremq; salutis  
Christum ipsum, & quidquid meruit mihi Chri-  
stus habere.

Hæc medicina meis vna est certissima curis :  
Vna salus, ex me nullam sperare salutem,  
Et cunctam in solo atq; vno spem ponere Christo:  
Vnus qui potis est millenas vincere mortes,  
Millenasq; vias nouit vitæ atq; salutis.

### Preces medicamentis vsuri.

Sum reus, & merui, fateor, quas perfero pœnas  
Peccatis culpisq; meis noxisq; pulendis.  
Quin si fulmineis peteres pater optime telis  
Me miserũ, prolemq; meam, mea q; omnia quæ te  
Dante habeo, nil quod quererer periturus haberẽ  
Quamuis tartarea iam iam immergendus abyssõ,  
Noxarum est adeo moles immensa mearum.  
Sed tu parce tamen, nec nostras respice sordes,  
O pater effuso quos viuo sanguine Christus  
Pro nobis miseris factus miser, ipse piavit :  
Iustitiaq; & morte sua nos mortis acerbæ  
Exemit vinclis, cæliq; in luce locauit.

Hunc

Hunc propter quoq; parce mihi, pœnasq; misello,  
Quas merui, minue: & medici benedicito dextræ,  
Qui sanare sua mea vulnera nititur arte,  
Quam sine te nil posse scio. veruntamen vtor  
His medijs à te monstratis de super orbi;  
Indignum ne me faciam, quam exopto, salute:  
Te tentare audens. ergo herbis addito vires  
Ipse pater morbo huic aptas, vereq; salubres.  
Siste malum hoc vltra reliquos ne serpat in artus  
Siste precor, tibi quo possim seruire, tuæq;  
Vltra Ecclesiolæ, & meritas tibi dicere grates.

In rebus secundis & aduersis  
sis æquo animo.

Vt bonus est mitisq; Deus; sic est simul omnis  
Principium veri fons & origo boni-  
Ergo bonum expecta quoduis constanter ab illo,  
Vtile si videat prorsus id esse tibi.  
Sin punire idem malit; patienter id ipsum  
Perfer: & assiduas funde refunde preces.  
Sic modo quæ pressit rursus te dextra leuabit,  
Tarda ferire malos, prompta iuuare bonos.

Ad patientiam.

Sis patiens mea mens, nec cede laboribus vllis  
Pugna p̄j vita est, continuusq; labor.

Quem

Quem tamen exoptata quies sine fine sequetur,  
Qua quicumq; fruens lætior esse cupis;  
Perfer & obdura hic certa sub mole laborum.  
Ardua virtutis difficilisq; via est-  
Si tibi cœlestes placeat celebrare triumphos;  
Sunt prius hic forti bella gerenda manu.  
Absq; labore quies nihil est: sine Marte trium-  
Friget iners. sit dux ergo vtriusq; labor. (plus

Ad malè sibi conscium quem-  
cunque.

Veri equidem radijs mentemq; & lumina cœca  
Claudere, ceu constans, satagis, veriq; boniq;  
Tutor & assertor. sed enim ( licet vsq; neges hoc  
Externa specie) tibi cor & viscera rodit  
Vermiculus mandante Deo, solidæq; quietis  
Inscius assiduis micat ictibus. instat eidem  
Igne micans cauter, tibi qui, nolisue velisue,  
Vstulat obstreperas imo sub pectore fibras.  
Cede Deo, tibi si sani vel gutta cerebri est,  
Cede prius, quam scintillæ vis effera in ignem  
Excreseat tantum, cui nec Rhenusue Padusue  
Sufficiant extinguendo, non deniq; vastus  
Oceanus, totum circa qui fluctuat orbem.

Spe finis dura feramus.

T. 10.



Tu ne cede malis mea mens, quantumlibet illa  
Sint graua & diuturna nimis. mos ille Iehouæ  
Est proprius, quando vult exhilarare fideles;  
Ante vt eos cruciet: cum vult saluare beandos;  
Ante vt eos perdat: cum vult dare dona quietis;  
Ante vt eos vario duroq; labore fatiget:  
Cum vult ædificare domos; vt diruat ante:  
Cum vult erigere; vt veluti de culmine celso  
Præcipitet miseros: tumulis cum educere gestit;  
Ante suos imo vt condat mersaq; sepulchro.  
Viuificare etiam cum vult; vt mortis abysso  
Immergat prius ipse pios. pone ergo querelas  
O mea mens, & cede Deo, curasq; molestas  
Ipsa tibi minue, & patrio confide fauori.  
Finis erit mihi crede bonus, vereq; beatus.  
Hoc igitur contenta Deo te subijce, nouit  
Qui melius quam tu tibi quid prositue, vel obsit:  
Nouit & exsequitur: certo & regit omnia sine:  
Consultumq; tuæ quauis ratione saluti  
Esse cupit. cui perpetuas hoc nomine grates  
Dic leta, ò mea mēs, medi aq; in morte triumphat.

### Pœna talionis.

Peccati primam, si numinis ira, palæstram  
Funditus in mundo paradysum perdidit ipsum:

Si

*Si scelere infectum totum cataclysmus in orbem  
Sæuijt exsuperans celsas in montibus ornos :  
Si Sodomam cælo delipsum perdidit ignis :  
Si Solymam cum peste fames bellumq̄, cruentum  
Deleuit peritus : tibi quid Roma impia fiet ?  
Quid lutulenta tibi foetensq̄, Lutetia, præter  
Tot probra, Idola, & fastum, dirosq̄, cynædos  
Insuper effuso quæ sanctorum atra cruore es.  
Quem propter tellus iterum si te euomat ; ecquid  
Mirandum est ? minime. pateris namq̄, ipsa quod  
Influxisti alijs, pariens ceu vipera partu (olim  
Interit in medio, vt matrem prior ipsa peremit.  
Nil æquabilius, nil lege hac iustius vsquam est.*

### **Respice ad me miserū Domine.**

*Possideam quamuis totus quod continet orbis :  
Cunctaq̄, delitijs lautitijsq̄, fluant,  
Nil tamen inde mihi sapit aut conducit anhelō ;  
Si condas vultus, ô pater alme, tuos :  
Si des nulla tui misero mihi signa fauoris,  
Pectoris in tacito percipienda sinu.  
Hæc absint, aberunt simul omnia. sint ea præsto ;  
En mox letitiæ flumina plena fluent :  
Letitiæ sanctæ & licitæ. nam gaudia mundi  
Floribus in medijs anxietate scatent.*

**Care**

Cave pater placidos iterum quaeso exsere vultus,  
Ut gustus patriæ me bonitatis alat,  
Viuisicet, recreet, mediâq; in morte beatum  
Exhilaret. voti compos vbi huius ero;  
Omnia ceu nactus, nihil optabo amplius, vni  
Quando bono huic insunt omnia. terra vale.

Quantum peccatum sit scientem ve-  
ritati & iustitiæ resistere.

Ne sit vile tibi vsq; adeo, quod sidus Alethes  
Diuinæ obscurare studes, licet illa vel ipso  
Sole magis fulgens radijs passim emicet aureis.  
Illius ipse Deus pater est, & maximus auctor,  
Autoalethæ qui dulcia nomina solus  
Attribuit sine labe sibi. quando ergo laboras  
Hanc premere; an ipsi non certas stulte Iehouæ?  
Væsanusq; suos illi suraris honores?  
An non in nihilum redigis, quantum pote, summâ  
Maiestatem eius toto tibi corde tremendam?  
Fur aliàs laqueo vilem punitur ob aßem  
Ablatum furto: diuini raptor honoris  
Pœna igitur qua dignus erit, furtâ omnia mundi  
Exsuperat cuius furtum, cunctasq; rapinas,  
Immò omnes cædes, periuria, stupra, venena,  
Quidquid in toto malū & execrabile mundo est.  
Quæ

Quæ te igitur maneant pœnæ, aduersarius &  
sit fortis tuus, & nulli vincendus in orbe, (quam  
Si sapis, ó miser, observa dum tempus et hora est.  
Ne te iam ardescens Domini subito opprimat ira,  
In nihilum redigens sibi quæ contraria nutu  
Conterit, & quouis victrix ex hoste triumphat.

SVMMO SACERDOTI  
pro suorum salute seipsum  
immolanti.

Cum tu a sanguineis rorantia pectora guttis,  
Mulcatum caput, & concretos sanguine cri-  
Contemplor, Iesu dulcissime, protinus algens (nes  
Horresco, crinesq; rigent, vox faucibus hæret.  
Namq; ardens hinc fulmineæ rigor emicat ire  
In scelus, inq; mex lapsus & crimina vitæ:  
Quæ nulla ratione, tuo quam sanguine fuso  
Deleri potuisse liquet. pudet ergo pigetq;  
Vsq; adeo securi animi, mentisq; profanæ,  
Cum tantus rigor, & tantæ sint numinis ire.

Rursum vbi me tandem collegi, & plenius ist-  
Omnia perpendo; mire bonitatis imago (hæc  
Hic aperit sese, & summum testatur amorem  
Æterni patris, vnigenæ qui parcere nato  
Noluerit, quò me seruum nil tale merentem

Affere-

Assereret, natiq̄, daret mihi funere vitam.  
Hic ille est, viden' vt suffixus robore pendet  
Erecto, terramq̄, inter cœlumq̄, locatus?  
Scilicet vt medium cœlo se iungere terram,  
Supplicioq̄, suum nobis placare parentem  
Edoceat. cernis lacerato è corpore sanguis  
Vt fluat? hic ignes cœlestis supprimit iræ,  
Pocula suppeditans vitæ. num tempora rusco  
Deformata vides? amaranti è flore corona  
Hinc capiti contexta meo est. quin brachia pan-  
dens,

A fluxis opibus mundi, cunctisq̄, creatis  
Attrahit ad sese diuersi à partibus orbis  
Iudæos, gentesq̄, omnes, quibus omnibus offert  
Amplexus, omnesq̄, in se sibi fœdere certo,  
Diuersosq̄, greges vno coniungit ouili.  
Præterea nihil in Christo tibi clauditur omne  
Cor patet: est transfixa caro: quin intima cernis  
Viscera, quid dubitas, riuos & flumina amoris  
Tot cumulata vident? quid te mens conscia tur-  
bat?

Quid scelus excruciat? quid mortis spicula ter-  
rent?

Quid Sathanas angit? Christi consule cruori,  
Et lucem in tenebris, vitamq̄, in morte videbis.

B

Disci-

Disciplinæ suæ alumnis, aliquandiu  
peregrè abfuturus, salutarem hanc ad-  
monitionem relinquit.

*Si patris aut cani præsentia fida magistri  
Te puer, vt vites facta pudenda, mouet :  
Cur te non pudeat Domini, qui cernit & audit  
Omnia, quiq; sagax pectoris ima videt ?  
Nescius & falli, venas scrutatur, & artus  
Quoslibet. hic latebræ nil tenebræq; iuuant.  
Vsq; adeò ergo homines faciens si praua, vereris;  
Qui iudex hominum est cur pauitare Deum  
Nolis ? qui cum sit lunæ, solisq; creator,  
Non penetrare ipsum condita quæq; putas  
Diuinorum oculorum acie ? sol aureus ad quam,  
Et cœli nil sunt sidera quam tenebræ.  
Quin si sol reliquas obscurat lampade stellas :  
An nequeat solem hunc obtenebrare Deus  
Maiestate suæ claræ super omnia lucis  
Sidera ? quæ iubar hoc mens penetrare queat ?  
Quod qui non metuit, trepido aut non corde vere-  
Dignus non oculis est lapis ille suis. ( tur,*

**Martyr iniquo iudici.**

*En solium sublime tuum atq; tapetibus amplum,  
In quo dum iudex vero inimice sedes.*

*Condem-*

Condemnasq; pios; solium est inhonestius illud;  
(Quod tua te malè mens conscia sponte docet)  
Quam carcer, cippusq; meus, pedicæq; rigentes,  
Quam crux, quã gabalus, quamq; catasta rogi.  
Omnia quæ sibi mens bene conscia reddit honesta,  
Dignaq; carminibus vel Maro magne tuis.  
Quod domino huic vni placet atq; p̄batur honestū,  
Turpe, quod huic villo displicet, omne, modo est.  
Nec tantum turpe, ast etiam execrabile, quamuis  
Ante homines primo fulgeat vsq; loco.

### Vni fide Deo.

Quando omni humano auxilio priuatus oberro,  
Et quo me vertam nescio quando miser;  
Vnus adhuc superest dominusq; paterq; Iehoua,  
Qui sibi fidentes deseruisse nequit.  
Haudq; aliam ob causam his opibus me priuat ege  
Vt discam soli fidere velle Deo. (num,  
Huic igitur soli fidam, qui fallere nescit,  
Auxilijs fallunt cætera cuncta suis.

Multæ lites facile componerentur,  
nisi animi litigantium essent  
implacabiles.

Eheu quam facile innumeras componere lites  
Sæpe foret, si discordes & bella gerentes

Quantum odijq, animiq, serunt ad iurgia, dulcis  
Tantum & Aletheas stuly & pietatis eodem  
Afferrent, ageretq, suas moderatio partes  
Vtrinq, vt par est. verum illa reliquerit orbem  
Cum miserum, atq, ipsi successerit atra Megæra;  
Quid mirum est faciles etiam dissoluere lites  
Difficile esse bonis & pacis amantibus, ipsi  
Conciliari homines irarum ardore tumentes  
Cum inter se nequeant sibi cedere turpe putantes  
Tum quoq, cum vinci est satius, quã vincere velle  
Per fas perq, nefas, ingens vt corruat orbis.

### Perrumpendum.

Exsul in his terris totius tempore vitæ  
Nunc hoc nunc alio pæne sub axe fui.  
Quin ipsam in patriam si nunc post tanta redire  
Tempora, mi exsulum patria cara foret.  
Omne solum patria est Christum sine fraude pro-  
Tantundemq, pijs vndiq, ad astra viæ est, (fesso,  
Inter Erythræi fluctus hinc inde minaces  
Ingredimur tacito sollicitoq, pede.  
Sub pedibus teritur limosi lubricus aluens  
Æquoris, & faciles non sinit esse vias.  
Vertere retrò oculos cippus salis ille rigentis  
Coniugis Aramidaë tristis imago vetat.

Stant



Stant dextra læuaq; vnda. procede viator,  
Transi, rumpe moras, anteriora vide.  
Hic cœlum tibi se pandit magnumq; capaxq;  
Promittit stabiles hic Deus ipse domos.  
Exsuiibus patria pulsus, cæsisq; per orbem:  
Quis velut indignus pessimus orbis erat;  
Sic nemo hos cœlo pellet, modo fortiter ante  
Iratum hoc mundi per mare transierint.  
Christe viatores tu nos miserosq; pigrosq;  
Cum facula ad metam hanc præuius ipse trahet.

Non in nobis, sed in Christo  
salus.

Si faciendo cupis vitam Pharisæe mereri;  
En semper sat habes quod agas, vero indice Christo  
Perfectus perfecta sibi quicq; integra iussit  
Præstari obsequia, vt Mosis lex sancta requirit.  
Quæ si tu præstare putas te posse; tibi ipsi  
Somnia consingis cœlesti dissona vero.  
Namq; vno excepto Christo nemo illa per orbem  
Præstitit. ergo etiam compos nemo inde salutis  
Est factus, fietue vnquam. verè ille beatus  
Qui sordes rectè ipse suas agnoscit, & vno  
In Christo, sibi quod desit, quæsisse laborat.  
Non in lege vlla Mosis, virtuteue nostra.

Vsq; adeo manca, mutila & virtutis egena.  
In qua si instituat quis quærere iura salutis;  
Idem etiam in mortis vitam sibi quærat abyſſo.

Peccata & mala conscientia  
non celandanda.

Nox nulla eſt adeò denſis infecta tenebris,  
Vt ſcelera occultare queat fraudesq; malignas  
Impia turba tuas. cœcas cur ergo latebras  
Inquiris miſer, & fœdæ tibi conſcie culpæ.  
Cur lippis nota & tonſoribus ignorari  
Et nunquam attingi cuperes tua crimina, tanquã  
Nulli viſa forent, nulliq; audita per orbem?  
Per quæ tota tamen tellus iam fœtet & aër.  
Cur fratrum ferre admonitus malè ſane recuſas?  
Cele Deo, perferq; libens, vt detegat ipſe  
Tempus ad exiguum tua vulnera & ulcera, teq;  
Suffundat pudibundo illo roſeoq; rubore:  
(Virtutis color hic) eadem & mox mergat abyſſi  
Faucibus, aut tenebris fumum eructantis auerni,  
Poſthac nulli vnquã quoduis cernenda per æuum.  
Nam ſi hoc non facies; aderit mox tempus, vbi illa  
Cuncta pateſient, noli ſue veliſue, Iehouæ  
Ante oculos, quibus haud ſolis certauerit ardor.  
Te hic omnes licet abſoluant, & prorsus adorent;

NOB

Non ideo effugies Domini cœleste tribunal. (langes  
Tempus erit, quod nec procul est, tua quando pha-  
Angelica, & Satan, atq; homines quicunq; per orbẽ  
Vixere aspicient, dempto velut vndiq; velo,  
Errores, fraudesq; tuas, technasq; nefandas.  
Atq; ita tartareo miser immergeris abyssõ,  
Cui te nulla dies vel sero exemerit æuo,  
An Dominũ cœcum esse putas, quia cœcus es ipse?  
Nomine virtutum cur turpia crimina pingis?  
Cœcus adularis tibi met cur suauiter ipse?  
Fallere num te posse Deum stultissime credis?  
Quod possis homines fucõ & mendacibus vmbribus  
Fallere? Nequicquam. videt imi ille intima cordis  
Quẽ penes haud vllæ tenebræ, caligo nec vlla est.  
Ab miser, haud illũ hoc pacto, sed te miser ipsum  
Decipis & fallis. quod te, mihi crede, docebit  
Iudicij illa dies, quæ cuncta latentia claram  
Eruet in lucem, cordisq; volumina pandet  
Ima tui, longeq; alia ratione modoq;,  
Tunc aget ipse forũ, & cathedra ius dicet ab alta,  
Quam faciũt homines animi regnante tumultu.  
Tunc soluet tricas, nodos, nexusq;, tenebrasq;  
Omnigenas, quis nunc velut intricata laborant  
Omnia deliri perplexa negotia mundi.  
Finiet hic tandem cunctas sententia lites,

*Absoluetq̄, pios, duris persæpe grauatōs.  
Hic præiudicijs, prauosq̄, immerget auerno.  
Excipere hinc nulli, nulli appellare licebit.  
Accelera hanc ô Christe tuis mitissime lucem.*

### *In S. Biblia.*

*Si quis in hoc libro vel opes, vel quærit honores,  
Vindictæue furens tela facesq̄, suæ,  
Non vnâ, certò tandem quæ vincet, Alethen,  
Aut morbis animi pharmaca certa sui;  
Is, quamuis aliud fallax simulare labore,  
Inuenit hîc propriam nil nisi perniciem.*

**Pœna tyrannorum differtur  
non aufertur.**

*Quid stomachare, dolesq̄, Deum punire tyrannos.  
Non subito, ad nutumq̄, tuum? præscribere tempus.  
Num certum audebis Domino, qui cuncta guber-  
Arbitrio, iusteq̄, suo? num credis inepte. (nat.  
Vsq̄, adeo exiguas tua poscere crimina pœnas,  
Crimina multa, horrenda, modis ingentia miris?  
Quæ quia non cessant; pœnas cessare quid optas?  
Non ideo tamen officium munusq̄, seueri,  
Iudicis abiecit, vel iusti vindicis. hora  
Sed nondum aduenit placita ipsi, & cōmoda nobis.*

*Ille*

Ille bouis porciue instar replet altilis istos,  
Ille saginat eos: solus quoq; tempora nouit  
Quis mactari illos par sit. placidè ergo morare;  
Nec nimium propera. ueniet quandoq;, nec hora  
Vsq; adeo procul est, momento quæ subito vno  
Opprimet innocua gaudentes cæde tyrannos,  
Eripietq; pios, lætum pæana canentes.  
Aut prius hos cæli fulgenti in luce locabit,  
Tartareoq; malos hostes immerget auerno.  
Nunquam etenim fallunt vero quæ protulit ore.

### Germaniæ Phœnix.

Quæ nunc in miseris fiunt templisq; scholisq;  
Præuidit velut è specula bonus ille piusq;  
Prædixitq; suis persæpe futura Melanthon.  
Atq; ea ne fierent lacrymis, calamoq;, librisq;  
Et prece contendit, placidi & sermonibus oris.  
Sed cum se multum facere hic sine fraude, nihilq;  
Proficere aduertit, curam superante veneno,  
Non inuito animo mortalibus exiit oris,  
Ne, quæ nunc passim fiunt, facta ipse videret.  
Ergo qui potuit vixisse aut mortuus esse  
Sanctius ille suo viuens è funere Phœnix?

Præsentia semper grauia.

B 5

Ab

*Ab intemperies quanta hoc in corpore regnat !  
Quam mediū tenuisse graue est? cum frigus acer-  
Ingruit, & silices quod rumpere posse videtur; (bū  
Nil nisi tum ardentis nobis exposcimus ignes  
Omnia complentes loca frigida. rursus ubi ardet  
Sirius, & rimis tellus sitibunda fathiscit,  
Cum fauces arent, membra & sudore madescunt;  
Nil nisi tum gelidasq; niues, glaciemq; rigentem  
Poscimus immemores hyemis, brumæq; prioris.  
Sic præsens quodcunq; graue est: meliora videntur  
Elapsa, aut etiam venturi tempora secli.  
Si sapis ista boni præsentia consule, & illa  
Fer placidè, & posthac committe futura lehouæ.  
Qui pridem adiuuit te rebus in omnibus; idem  
Præstò erit vltèriùs. nec te, ô bone deseret vnquã,  
Cum verax, & sit nullo mutabilis æuo.*

**Deum inimicum habentibus ni-  
hil est miserius.**

*Quid metuã gladios? quid crudos cæde Tyrannos?  
Quid ferro armatas has facibusq; manus?  
En Deus hic præstò est, contra quẽ quis miser ausit  
Hiscere? qui aduersum dissipat omne sibi.  
En Deus hic præstò est, quem tot millena piorum  
Millia spirituum nocte dieq; colunt:*

*Illius*

Illius & nutum observant, pugnare parati

Pro paruo hoc quamuis tam miseroq; grege.

Hoc nihil aduersum, nihil, vno hoc, triste, benigno,

Fortior his cunctis angelus vnus erit. (est.

O miser Antichriste tuis circumdate turmis!

O miseros reges signiferosq; tuos!

Quis Deus est hostis, quos caeli exercitus odit,

Et diras caeli mittit ab arce minas.

Quisq; adeo tot sunt iurati caelitus hostes;

Quot sunt in superum sedibus aligeri:

Quos nemo numerare potest, nec vincere quis-

O nos felices, ter miserosq; popas! (quam.

### Vis mala conscientiae.

Conscia mens prauis, ceu guttula fortis aceti est,

Quae velut ex templo generosi dolia vini

Inficit instillata: mali sic maxima mundi

Gaudia conturbat male mens sibi conscia, mellis

Cum veluti è scatebra generosi & nectaris haustu

Surgit amari aliquid, quod cor cruciatibus angat,

Obstreperas inter citharas, & vina tremiscens,

Commeritamq; horrens infesti numinis iram.

Deus habet mille modos  
puniendi.

B 6

Conua-

Conualui dicis, febris me dira reliquit.  
Iam faciam quodcunq; libet: liceatne, nec hilum  
Sollicitus. mihi pro recta ratione voluptas  
Imperet, & genio indulgens securam libido.  
Ast heus tu, bone vir, nunquid magni arma lehoræ  
Tam pauca & fracta esse putas? numero ne flagel-  
Et virgas adeo exiguo, qui vincit arenas (la,  
Littoris, & guttas demissi coelitus imbris?  
Dic mihi morborum species, bene si potes, omnes.  
Non possum, & recte, dices. dic tempore belli,  
Dic famis, & pestis, dic tempore diluuiorum,  
Aut flammæ indomitæ mala quot, mala quantâ  
misellos

Affligant homines? quantum fera bestia, natrix  
Aut vermis terræ, aut metuendus acumine caudæ  
Scorpius his noceant? iterum te hoc scire negabis.  
Euasisse igitur penitus te credis, ab vna  
Cum febris immunis valeas bene? millia multa  
Virgarum superant Domino, quibus ille furores  
Emendare tuos potis est: suffecerit vnus  
Illi vel nutus: mox totus confluet orbis,  
Cælum, terra, mare, auxilium prestare pa-  
rata

Reftori, auctoriq; suo. resipisce proinde,  
Et sapere alterius damno, sine verberè, disce,

Non



*Non audax tentare Deum, sed promptus acerbam  
Anteuenire iram, & iustas auertere plagas.*

*Vanitas gaudiorum terrenorum, &  
sinceritas cœlestium.*

*Per lamas vt iter faciens, tractusue lacustres;  
Quando hanc extraxit plantã, mox mergitur illis  
Altius, & tandem nulli extricabilis hæret  
Implicitus, clamans frustra, frustraq; laborans.  
Sic qui diuitias, & opes, & gaudia mundi,  
Numine neglecto, insequitur, votisq; potiri  
Per fas, perq; nefas satagit; sic protinus illis  
Instar mancipij abripitur, captusq; tenetur,  
Nulla illinc vi, non vlla reuocabilis arte,  
Mox etiam piceo miser immergendus auerno.  
Si sapias, hæc suspecta tibi ludibria mundi  
Omnia sint, sursumq; tuas ad sidera curas  
Erige, cuncta vbi tuta manent, vbi gaudia vera,  
Vera quies, & sincera est, sine fine, voluptas:  
Cum nostra hæc vna ter sit variabilis hora.*

*Te ipsum damna, vt à Deo  
absoluare.*

*Cum sis ipse tuus trepidanti in pectore iudex,  
Et te mens damnet conscia mille modis:*

Quid miser expectas Christo vt damneris ab ipso?  
Cum dabit horrendos buccina dia sonos.  
Quin hunc praeueniēs te damnas gnauiter ipsum,  
Iudice quo damnās absoluāre Deo.

Frustra fugis manum  
Dei.

Quid fugis irati dextram o miserandae Iehouæ?  
Immensam an nescis illius esse manum?  
Si nubes etiam & stellas superare valeres;  
Deprimeret Domini te tamen inde manus.  
Æquora si velles toto transmittere mundo;  
Porrecta vltius tam cita dextra foret.  
Si penetrare imos velles telluris abyssos,  
Cum Iona aut Ceti ventris inire penu;  
Te tamen inde manus Domini inuictissima posset  
Retrabere, adspectum sistere & ante suum.  
Frustra occultari quoq; celso à monte rogares:  
Quando oculi penetrant inuisa quæq; Dei.  
Huic igitur cede, atq; lubens submitte Iehouæ  
Te manui, eiq; imo pectore funde preces.  
Errores agnosce tuos, lapsusq; pudendos  
Deplora, & veniam corde gemente pete.  
Sic non est opus vt fugias, quando ante, paternas,  
Quam venias, tibi iam porrigit ipse manus.

Ebrio.

Ebriosus est viuum cadauer.

Quid facit ebriolus, semper potansq; voransq;  
Quem nunquam siccum Vesper Eosue vident?  
Præparat ipse sibi viuusq; vidensq; sepulcrum,  
Condat ibi ut viuum & putre cadauer humo.  
Namq; quid à fædo putriq; cadauere differt  
Et vini & nimij gluto cloaca cibi?

Non diem sed Deum reuerere.

Furi ut sunt densæ meliores nocte tenebræ,  
Atq; exosa suo lumine clara dies:  
Sic etiam tenebras noctis sibi quærit opacæ  
Qui mala, corde intus iam trepidante, patrat:  
Et gemit auroræ quoties noua lumina cernit.  
Nam sua ne fr.uis sit mox retegenda timet.  
Atq; ita quæ lux est toti ter amabilis orbi;  
Huic homini est mortis flebilis vmbra malo.  
Immò ille optaret cassum sibi lumine cælum:  
Et solem è medio tolleret ipse polo,  
Si pote. Lunæ etiam lucem obscuraret opacam;  
Pro libitu ut faceret quidlibet ille suo.  
O miser, vsq; adeo bruti quid lampada solis  
Cæteraq; in mundo nil metuenda times?  
An cæcum esse putas cernentem cuncta Iehouam,  
Scrutantemq; adeo pectoris ima tui?

Quin

Quin potius cœleste huius reuerere tribunal,  
Ad quod te nec nox vlla nec vmbra teget.  
Cuncta ubi, quæ nunc sunt tecta atq; occulta, pa-  
tebunt:

Pro merito & capiet præmia quisq; suo.

### In Misalethen.

Qui sit vt in rebus mundanis atq; caducis  
Errare aut falli tam tibi turpe putes?  
Sed quando vera de religione fideq;  
Quæritur, & qui nos trames ad astra ferat:  
Et fulgor viuæ tibi cum monstratur Alethes,  
Instar quæ puro solis in axe micat:  
Tunc oculos claudis, tum lucem & lampada tollis,  
Tunc vltro falli & nescius esse cupis.  
Tantum ideo lapsum ne te cogare fateri,  
Peccauiq; adeo dicere, sancte Pater.  
Verum hoc ante oculos quid sit, valeatq; Iehouæ,  
Dum licet & fas est, discere, quæso, stude.  
Tempus abit: volat hora breuis. Deus omnia cernit  
Hei mihi quam longas idem habet ille manus!  
Mutaturq; eius patientia sæpe furore,  
Hostis Aletheas quando quis esse studet.

Domino sac tutus amico.

Oderis

Oderit iniuste quamuis nos orbis, orcus,  
Et nos pestiferos quisquiliasq; vocet:  
Partibus à nostris modo norim stare Iehouam,  
Est satis hoc multis mi satiusq; modis,  
Quam si blanda loquens rotus nos mundus adoret,  
Et sacharum sordes sputaq; nostra vocet.  
In nos vindictam interea clamantibus astris,  
Nosq; premente graui nūminis vsq; manu,  
Dum mensura graues scelerū complevit aceruos,  
Qui quandoq; sua mole premente ruent.

### Exiguum plus magno.

Perpetuo vt fluuius torrens celer altior errat:  
Et tamen hæc breuis est, illa perennis aqua:  
Diuitiæ sic maiores cernuntur auari,  
Quas sibi per fas & colligit ille nefas.  
Sed tamen hæc breuis & possessio fluxa videtur,  
Fallit & heredes sæpius illa auidos.  
Quem verò parcè Domini benedictio ditat;  
Ex modico is semper quo satietur habet.  
Transit & ad teneros eadem benedictio natos.  
Exiguum hoc magno maius an esse neges?

Morbi cælati nulla sunt  
remedia,

Quid

Quid miser vsq; adeo cælas tua crimina, quæ  
Conscia non patitur posse quiete frui? (mens  
Quid miser emplastris tegis ulcera pessima, scæda  
Quæ sanie & tabo pureq; tota scatent?  
Quoq; magis tegis illa, mage hoc putredo maligna  
Crescit, & hoc serpit longius usq; malum  
Quotidie, haud cessans citius, quam triste venenū  
Te totum inficiens omnia labe premat.  
Si sapis illa aperi medico, bona pharmaca posce,  
Chirurgiue animo fer patiente manum.  
Spes superest hæc vna, vna hæc via certa salutis,  
Qua sine non vlllo tempore sanus eris.

Ex 34. cap. Ezechielis.

Cur adeo bone vir tua cornua tollis in altum;  
Cur tibi commissos pessumdare velle videris?  
Non ideo te preposuit deus hisce misellis  
Custodem, sceptrumue adeò sublime tenentem,  
Ut sis terribilis, ceu bestia tetra feroxq;  
Disturbans vastansq; gregem. non te esse petulcum  
Hircum vel caprum voluit, qui cornibus altè  
Sublatis turgens subitò obuia quæq; ferires,  
Aut pedibus premeres agnos, quos sanguine Chri-  
Ipsè suo Satanae crudeli ex fauce redemit. (stus  
Non aprum te constituit, porcumue voracem,  
Qui

Qui puras turbaret aquas, cœnoq, fimoue  
Inficeret fontem vitæ æternæq, salutis.  
Hos igitur compeſce animos, vim comprime, ceſſet  
Ille rigor nimius. quin te quoq, ſæpe memento  
Eſſe hominem miſerum, & coopertum nube puden  
Multorum ſclerum. ſic æquior eſſe miſellis, (da  
Mitior & poteris peccati mole grauatis,  
Et cum maiori fungeris munere fru. tu.

### In Theomomum.

O miſer, inq, tuam nimis ingenioſe ruïnã.  
Quidquid agit Deus in mundo, cœtuq, piorum,  
Id ſordet tibi. tu noſti meliora, Iehoua  
Quam ſciat. is fortè vt te conſulat ante neceſſe  
Atq, pari veluti rationes reddat oportet; (eſt,  
Quam quidquam faciat nulla ratione probandum  
Forte tibi, cerebroq, tuo. Sit Pegaſus ergo  
Fac tibi, qui nubes penetrans tua ſomnia cœlo  
Inferat, admoneatq, Deum, qui te ſine nunquam  
Sat ſapit, officij: cunctanti & ſuggerat illi  
Quid ſit opus factò: quid non opus. indiget ille  
Tam magnis ſine fine ſophis: facietq, quod ipſi  
Præſcribes: toto ſimilis tibi nullus in orbe eſt,  
De Sophia tibi cum propria tua ſomnia ſingis,  
Somnia deliram nimium teſtantia mentem,

Nec

*Nec pluris faciendam, ac si caelo obstrepat anser,  
Ranaue tenticulas peragrans hinc inde lacustres  
Disrumpenda breui clamosa lite coaxet.  
Namq, luet similes certò hæc insania pœnas.*

**CruX auget fidem-**

*Quassatas fidei mota face crescere flammæ,  
Et nullo certum est concutiente mori.*

**Satanæ impotentia:**

*Si Satanas Christi sine nutu inuadere porcum  
Non potis est; Christi quomodo lædet ouem?*

**Duplicatio culpæ & pœnæ.**

*Duplicat is culpam, qui vult defendere culpam.  
Ergo etiam pœnam duplicat ipse sibi.*

**Vt sis doctus & sapiens.**

*Si doctus vis esse; Deum bene nosse labora.  
Si sapiens; notum vite timere Deum.*

**Vita vna, mortes innumera.**

*Guttula cum vitæ mihi sit tantum vnica, cur me:  
Mille necis species, mille pericla premunt?*

**Manus Dei ferit & sanat.**

*Verberat vna Dei, sed subleuat altera lapsum  
Iustitia pollens & bonitate manus.*

**Gaudium verum & falsum.**

*Omnia:*



Omnia sunt vani vanissima gaudia mundi.

Felix qui in solo gaudet ouatq; Deo.

Disce viuere & mori.

Viue piè, quicumq; mori feliciter optas,

Vtq; piè possis viuere, disce mori.

Sim maneamq; tuus.

Quidquid ero tenebras inter tūnuliq; fauillas,

Fac Deus vt semper sim maneamq; tuus.



Lectori S.

Ne sequentes pagellæ tibi vacuæ obtrude-  
rētur; elegantiss. hanc & lepidiss. præstantiss.  
Poëtæ Odam, quæ tunc ad manum fortè e-  
rat, volumus his subiungere. Quod tu in bo-  
nam partem interpretabere. Vale

A D

NATHANEM CHYTRÆVM.

**A** BIBVLO ponti litore Baltici,  
Glaucoque Varni fluminis ostio,  
Quâ possessa canori  
Nantes regna tenent Cycni.  
Te voco ad Idæas præproperê rubos,  
CHYTræe Nathan. Quid mihi cum tuis  
Spinis forsitan aies,  
Hirsutisque vepreculis?  
Culta relinquendû, si sapiam, haud putê  
Roseta, pulchris splendida floribus.  
Inter quos manus omnis  
Bellæ Chloridos ambulat,  
Gensq; Napæarum, virgineus chorus,  
Sciens ephēbis ferta fragrantia  
Festiuasque corollas  
Gnauis nectere dexteris;  
Non capiti cano: quale tuum modò est,  
MELISSE, nulli quod placeat Chloæ,  
Nulli Phyllidi, nulli  
Daphnæ, nulli Amaryllidi.  
Me miserum! cur non sanguinis integer,  
Et firmus æui, qualis ad Albim eram,  
Vestram

Vestram iunior urbem  
Veni; cui (nisi fallimur)  
Puniceæ nomen contribuunt Rosæ?  
**R**OSINA se, quam quærimus anxij,  
Istic forte dedisset  
Inuentam, nec amoribus  
Callida subtraxer legitimis iugum.  
Nunc, oscitantis pronus ut excidit  
Corui caseus ore,  
Sic occasio perperis  
E manibus fugit commoda. nam pigro  
Succedere æuo vis iuuenilior  
Nescit; nescit in annos  
Rhombos Thessala pristinos  
Vertere marcentis saga caput senis.  
Quapropter ætatem in gelidi tori  
Cælebs carice degam,  
Sudo seu pluuiis Ioui  
Haud nimium supplex, aëris utpote  
Adsuetus vdi. Spinea si Rosam  
Silua educere nullam  
Vult, nullâ heu potiar Rosâ.

*Paulus Melissus Schedius, Comes  
sacri Pal. & Eq. ciuis Rom.*

AD

AD  
NATHANEM CHYTRÆVM.

**D**VM vigilas sacris, Chytræe operose Camœnis,  
Atq; animas doctam voce sonante chelym,  
Varniades certa:im iterant noua carmina Nym-  
Varnus & attentis auribus illa bibit. (pha,  
Plurimus irriguis applaudens cygnus in vndis  
Insolitum arguto succinit ore melos.  
Laurea odoratum diffundit silua vaporem:  
Suauibus aspirant culta roseta comis.  
Et vatem pariter lauriq; rosæq; coronant,  
Cantanti pariter terra polusque fauent.  
Felicem ò nimium fortunatumq; Poëtam,  
Cui datur has inter viuere delicias

Iohan. Posthius Me-  
dicus F.







Pl. 3007

ULB Halle

3

001 954 911



Sb.

mc.



Handwritten musical notation in black ink on a four-line staff, consisting of several rhythmic stems and flags.

Handwritten text in Gothic script: **m o r** (with a red horizontal line above the 'o') **a e u**

Handwritten musical notation in black ink on a four-line staff, consisting of several rhythmic stems and flags.

Handwritten text in Gothic script: **o u o** (with a red horizontal line above the 'o') **u**

Handwritten musical notation in black ink on a four-line staff, consisting of several rhythmic stems and flags.

Handwritten text in Gothic script: **de preclara man**

Handwritten musical notation in black ink on a four-line staff, consisting of several rhythmic stems and flags.

Handwritten text in Gothic script: **diminitus orta**





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

NATALIS DN. NOSTRI  
**IESV CHRISTI**

CIO. IO. XCI.

*Carmine anniversario celebratus.*  
*cum aliorum carminum sacrorum*

APPENDICE  
NATHANIS CHYTRÆI.



*Ex liberalitate...*  
*compositis carnis...*

12  
1310

